



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Visionem ipsam Dei connaturalem esse intellectui prædito lumine gloriæ.
c. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

CAPVT II.

*Visionem ipsam Dei connaturalem esse intellectui
prædito lumine gloria.*

Scotus.

D Vbitat præterea Dominicus de Soto in 4. dist. 49. q. 2. a. 4. an ipsa visio sit connaturalis intellectui beatorum: respondet autem non solum visionem esse supernaturalem ipsi intellectui secundum se, sed etiam intellectui prædito lumine gloria. Probat vero, quia cum lumen ipsum sit supernaturale intellectui, erit etiam ipsa visio, quæ virtute luminis elicitur: ut vero actio sit naturalis, opus est, potentiam, quæ est principium illius secundum suam naturam, esse naturalem, etiam si supernaturam ex parte efficientis sit restituta, sicut oculus cæco: facultas enim videndi ita est homini naturalis secundum se, ut visio ab ea elicitur sit etiam naturalis.

Caietan.
Scotus.
Ferrar.
Opinio aut.
Scoti.

Mihi vero probatur modus loquendi Caiet. in hoc art. 3. ad 2. argum. Scoti & Ferrariensis 3. contra gent. cap. 5. circa 3. obiectum, qui dicunt visionem claritatem Dei, si visio ad intellectum nudum, & secundum se considerata referatur, esse illi supernaturalem, ut satis compertum est: relata vero ad intellectum præditi lumine supernaturali, esse illi naturalem. Ratio vero est manifesta: nam illud, quod est alicui supernaturale, vires & perfectionem naturalem eius excedit, quod vero non excedit, non est illi supernaturale: visio autem beata excedit vires intellectus secundum se, non autem vires, quas habet ex lumine gloria: ergo licet intellectui secundum se sit supernaturalis, tamen habenti lumen erit naturalis; aliter quidem quam comparatur visio corporalis oculo restituito, & ipsi homini. Ut enim bene admonet Ferrariensis, etiam si restitutio oculi sit supernaturalis ex parte modi efficientis, oculus tamen restituitus, est ipsi homini forma naturalis, & naturaliter in eo conservatur; quo fit, ut visio ab eo elicitur non solum sit naturalis homini habenti oculum, sed etiam homini secundum se, eo quod ipse oculus perfectio naturalis hominis est; intellectui tamen habenti lumen est naturalis visio Dei ratione luminis, non autem ipsi intellectui secundum se; quia lumen, ratione cuius visio est ei naturalis, est forma supernaturalis ipsi etiam intellectui: non ex parte modo efficienti tantum, sed secundum suam substantiam; quare non solum supernaturaliter in eo producitur, sed etiam supernaturaliter conservatur.

Caietan.
Solutio arg.
Scoti.

Ex hac doctrina optime respondet Caiet. loco citato argumento Scoti in 4. dist. 49. q. 2. §. In prima questione post medium, quod erat huiusmodi: Si daretur lumen gloria, sequeretur, eo posito, naturaliter sequi visionem, ac proinde eam esse naturalem alicui creaturæ, aut formæ creatæ, quod est absurdum. Respondet ergo Caiet. concedens totum, quod Scotus infert in argumento, scilicet alicui creaturæ, seu formæ creatæ esse naturalem visionem Dei: nomine autem creaturæ intelligit formam supernaturalem, scilicet lumen, quod etiam creatura est: non autem formam aliquam naturalem.

visio super
naturalis a?
intellectui, ut
subiecto.

Ultimo obseruandum est cum dicimus visionem esse naturalem intellectui præditi lumine gloria, non esse ita intelligendum, ut ipsi tamquam subiecto recipienti sit naturalis: cum enim ea proxime recipiatur in intellectu nudo, & secundum se, non medio lumine gloria, aut alia supernatura-

CAP. I. & II.

li dispositione, ut præcedenti disp. c. 1. prædictum est, sit ut intellectui recipienti visionem, ea sit supernaturalis perfectio: quia super naturam eius est, in quo recipitur: dicitur tamen visio naturalis intellectui habenti lumen gloria, tanquam agentis, eo quod intellectus sit instructus lumine, ex sua virtute naturali elicit visionem, itaque visio est naturalis principio ipsam elicienti, non subiecto, in quo recipitur.

DISPV TATIO XLV.

An præter lumen gloria, necessarium sit lumen intellectus agentis ad videndum Deum.

Due Scholasticorum sententia, cap. 1.

Opinio vera, cap. 2.

CAPVT I.

Due Scholasticorum sententia.

P Ræter Capreolum & Richard. nullum alium ex Scholasticis inueni. qui hanc questionem tractaret: Eam vero, quod parui momenti esse videatur, paucis abfoluam: dicam tamen prius, quid duo citati auctores senserint. Capreolus igitur in 4. d. 49. q. 4. art. 3. ad argum. 3. loco adducta ex Aureolo contra secundam conclusionem docet, lumen gloria non infundi beatis, ut virtutem & efficacitatem tribuat intellectui agentis cum nulla ad videndum Deum abstrahatur species, quod proprium munus intellectus agentis esse videtur: sed ut robori intellectus possibilem, ut disp. 43. cap. 2. ex eius sententia explicatum manet.

Prima
Sententia,
Capreolus.

Contra vero Richardus in 4. d. 9. art. 3. q. 2. affirmat, utrumque lumen, nempe intellectus agentis, & gloria esse necessarium ad videndum Deum, siue dicamus visionem à solo Deo proveniri, sic enim utrumque requiritur ut dispositio ad recipiendam visionem, lumen gloria principaliter, intellectus vero agentis secundo loco: siue etiam asseramus, visionem ab intellectu produci, ad hunc enim effectum intellectum utroque lumine iuvati necessesse est: nec utrumque vero probat vlla ratione.

Richard.
Secunda
sententia.

CAPVT II.

Opinio vera.

H Væ difficultati facile respondebimus, si prius explicatum fuerit, quid sit lumen intellectus agentis: inde enim constabit utrum aliquid ad visionem claritatem Dei conferat, an non quidam Philosophi dixerint intellectum agentem esse re ipsa distinctum à possibili, & ad hoc deferuire, ut illuminet phantasmata, & inde intelligibiles species abstrahat: quod si esset verum, nequaquam ad visionem Dei recipiendam, aut ad eliciendam necessarium esset, ut perspicuum est: quia visio non recipitur nisi in intellectu possibili, neque ab alio, quam ab eo producitur. Quod enim aliqui asserunt, lumen intellectus agentis non tantum abstrahere species, sed etiam illustrare principia, ut videantur, præterquam quod commentitium est, cum vix intelligi, nedum explicari possit, quæ sit illa illustratio intellectus agentis circa principia in visione Dei, multo minus talis illustratio locum habere potest.

Si vero dicamus eandem esse facultatem intellectus agentis, & possibilem, ac proinde idem omnino lumen, quod verius esse puto, tunc quidem

Intellectum
possibile a?
agentem esse
lumen
realiter.